



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. 13. De varijs modis attribuendi personis vnitatem Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

CAPVT XIII.

Explicatur varij modi loquendi de unitate trium personarum in esse Dei.

itas, ita neque admitti potest improprietates locutionis, quæ parum distat à falsitate. Vnde cum fides magis sit de rebus, quam de vocibus, ante omnia fatendum est, in re ipsa tantum esse vnum Deum, vt docet Scriptura sacra. Et ita Patres omnes hoc supponunt tanquam primum fundamentum huius materiæ. Vt patet ex Concilio Later. in cap. Firmiter, & c. Damnamus, & ex Concilio Florent. & Tolet. sæpe citatis, & Augustino 7. de Trinitate, capite 4. Ambrosio. de fide cap. 1. & 2. & alijs statim referendis. Quia verò doctrina fidei, etiam complectitur voces, & modos loquendi in ordine ad res diuinas explicandas, & vitanda pericula errorum, ideo etiam fatendum est, illam locutionem esse omnino propriam. Tum quia unitas Dei est in se omnino vera, & propria: tum etiam quia alias negatiua propositio esset magis propria, scilicet, tres personas non esse vnum Deum, ac proinde potius esse dicendos plures Deos, quia inter contradictoria non est medium. Hæc autem absurda sunt, & hæretica, est ergo, & vera, & propria illa unitas, & illa locutio.

Secundo dicendum est, quamuis posita substantia essentiali clarior sit illa locutio: nihilominus, veritatem, & proprietatem eius non esse ad illam opinionem limitandam, quia veritas fidei non pendet ex Theologorum opinionibus. Vnde sancti Patres veritatem naturæ docent sufficere ad unitatem Dei. Sic Ambrosio supra. Pater, & Filius vnum sunt, non confusione personæ, sed unitate naturæ. Et optime Fulgent. 1. de fide, ad Petrum c. 1. Vnum recte credimus, & dicimus Deum, quia vna prorsus æternitas, vna immensitas, & vna natura alter est trium personarum Diuinitas. Et multa habet in eadem sententiam Sophronius in sua epistola, act. 11. 6. Synodi. Docet etiam Conc. Flor. Patrem, & Filium esse vnum principium Spiritus sancti, & non plura, quod non fundatur in aliqua substantia communi, vt infra ostenditur, sed in unitate amoris, & voluntatis. Sic etiam, licet tres personæ immediate assumant vnam humanitatem essent vnum homo; & non propter substantiam communem; vt latius in 3. p. tom. 1. disp. 13. sect. 3. Ratio vero est ex dictis in superiori libro sumenda. Quia ad unitatem nominis substantiui sufficit unitas formæ, seu naturæ, illam enim significat formaliter per modum per se stantis, & ideo si illa vna sit, vnum est substantiuum per illam constitutum, etiam si modi per se essendi plures sint. Deus autem hac voce substantiue significatur, & hæc est propria, & primaria significatio illius vocis ex prima sua significatione, & non ex aliqua vsus accommodatione, ergo unitas Diuinitatis sufficit ad veram, & propriam unitatem Dei, quidquid sit de absoluta substantia.

Quapropter, si iuxta linguam Hebræam licitum erat vti illa plurali locutione cum proprietate, sumebatur illa vox *Dij*, magis in vi nominis adiectiui, quàm substantiui. Verisimilius autem mihi est, non fuisse vsum proprium in illa lingua, cum in ea constantissime doceatur semper unitas Dei, vbicumque est proprius sermo de illo. Vnde, vbi reperitur illud plurale *Dij*, attributum vero Deo, non sumitur proprie ad significandam pluralitatem Deorum; sed metaphoricè ad significandam auctoritatem, vt notauit Caiet. Genes. 1. & Abul. in opusc. de Trinitate. Confirmatio autem primæ sententiæ difficultatem non habet, quia habens Deitatem significat adiectiue, & ex hac parte admittit pluralem locutionem, quia sunt plures habentes Deitatem, qui nihilominus sunt vnus Deus, & non plures. De fundamento autem alterius opinionis in cap. 14. dicemus.

14. dicemus.

)(

Suarez: de Deo trinuno.

Ex dictis in superiori capite, facile intelligi possunt plures propositiones, & varij modi loquendi, de tribus personis, vt sunt vnus Deus. Primus est, quo Pater, Filius, & Spiritus sanctus dicuntur esse idem Deus, vel idem absolute. Nam si dicantur idem sine vilo addito, erit ambigua locutio, neutraliter vera, masculina falsa. Quia sicut in neutro dici non possunt aliud, & aliud, ita è conuerso dici possunt idem: quia vero masculinè dicuntur alius, & alius, idem dici non possunt masculinè, quia hæc opposita sunt. Et hoc sensu dixit Guidmundus, in quadam confessione Trinitatis, quæ habetur in sexto tomo Biblioth. Pater, & Filius sunt idem ipsum, non idem ipse. Sumitur etiam ex Athanasio dialog. 3. de Trinitate, & Iustino in expositione fidei. Qui propterea sententiæ, illam locutionem esse vitandam, vel propter ambiguitatem, vel quia idem immediate adiunctum personis sine addito videtur potius masculinè sumi.

At vero si ei addatur aliquid, erit vera, vel falsa iuxta rationem additi. Nam, si personæ dicantur idem suppositum, est falsa, si autem idem Deus, est vera, quia perinde est dicere eundem Deum; ac dicere vnum numerò Deum. Et eadem ratione vera est hæc locutio. Pater est idem Deus cum Filio, & Spiritu sancto, sicut Ecclesia de Patre dicit in Præfatione Missæ Trinitatis, & similiter de eodem Patre Ipe dicit, Qui cum Filio, & Spiritu sancto viuunt, & regnant. Sic etiam intelligitur id, quod Ecclesia de Filio dicit. Tu solus Dominus, tu solus altissimus, Iesu Christe, cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Nam quatenus Christus Iesus est idem Deus cum Patre, & Spiritu sancto; eatenus est solus Dominus, solusque altissimus.

Hinc etiam vera est hæc locutio. Pater est idem Deus, qui est Filius. Quamuis de illa aliqui dubitent, vt videtur licet in commentarijs Boetij de Trinitate; qui nomine Bedæ habentur in tomo octauo operum eius. Sed immerito in dubium hoc vocatur. Aliud enim est dicere, Pater est idem, qui Filius; aliud vero est dicere, est idem Deus, qui Filius. Prior enim locutio merito negatur ab Athanasio in dialogo primo, contra Anomæos; & ab Ambrosio 1. de fide, capite secundo. Quia illud relatiuum, *Qui*, refertur in se ipsa propositione personam Patris; vt talis est. Altera vero locutio vera est, quia in ea immediate refertur Pater, quatenus Deus est; vnde, quia Pater, & Filius sunt idem Deus; ideo Filius dicitur idem Deus, qui est Pater. Si autem quis enuntiet, Pater est Deus, & idem Deus est Filius: videtur esse locutio magis ambigua. Nam cum Pater proxime præcesserit, videtur ipse immediate referri; & ideo negatur in dicto commentario. Tamen cum ex parte prædicati propositionis prioris absolute præcesserit Deus, potest de illo optime intelligi locutio, & identitas; & ita erit propositio vera, & videtur mihi sensus satis accommodatus. Hæc autem locutio, Deus Pater est Deus Filius, simpliciter falsa est: nam ratione adiuncti determinatur suppositio ad tales personas; & ideo perinde est, ac si Pater diceretur Filius. Hanc vero locutionem admittunt aliqui Patres, Pater est idem, quod Filius, vt videre licet in Ambrosio supra, & Augustino, vnde cum de Civitate capite decimo. Et ratio patet ex dictis, quia illud relatiuum neutrum, quod, declarat etiam aliud relatiuum idem, at is satis in eodem genere vsurpari. Ac talia relatiua in neutro posita, identitatem tantum in essentia indicant, vt supra dictum est.

N n Rursus

4. *Deus vnicus*

Rurſus vero dubitari ſolet, an perſonæ, vel ſimul vel ſigillatim dici poſſint *Deus vnicus*. Nam D. Thom. 1. part. quaſt. 31. artic. 4. videtur non admittere hęc locutionem, quod ſequitur etiam Bonauent. in 1. diſtinction. 21. articulo 2. quaſtion. 1. & fauet Hilarius 7. de Trinitate in fine, vbi ſignificat, Deum dicendū non eſſe vnicum. Fundamentum eſſe poteſt, quia hęc vox videtur excludere confortium perſonarum. Illam tamen locutionem admittit Durandus in 1. d. 9. quaſtion. 1. Quia non plus ſignificat *vnicus*, quam *vnus tantum*, nam hoc ſenſu dicitur vnicus Pater, & vnica Deitas. Vnde quando dicitur vnicus Deus, ex vi ſermonis illud nomen *vnicus* cadit in Deum formaliter, quatenus Deus eſt, & ideo non excludit confortium perſonarum, ſed Deorum. Atq; hoc mihi videtur in rigore verum.

5. *Deus ſingularis*

Idemque iudicium eſt de illa locutione, in qua dicitur ſingularis: quam etiam Hilarius ſupra negare videtur, & Leo Papa ſermon. 2. Pentecoſt. *In Deitate* (inquit) *nec ſingularitas eſt, nec diuerſitas*. Videtur autem ſumphiſie ſingularitatem pro incommunicabilitate. Propriè tamen, & iuxta communem vſum, ſingulari vniuerſali opponitur, & idem ſignificat, quod indiuiduum, & vnum numero, quo ſenſu veriſſima eſt illa locutio. Et ſic Anſelmus de Incarn. verbi cap. 3. tres perſonas vocat *vnum numero Deum*: & Laſtant. libro quarto, capite 29. circa finem, vocat *ſingularem Deum*: & Sophronius in dicta epiſtola vocat Deitatis vnitatem *ſingularem*. Magis cauenda eſt hęc vox *Solitaris*, quia excludere videtur ſocietatem perſonarū: & ideo illam etiam negat Hilar. ſupra, & libro quarto de Trinitate. Et ſumitur etiam ex Auguſtino 6. de Trinitate capite ſexto & ſeptimo. Expresſius id tradit Concilium Toletan. 6. in confeſſione fidei. Tandem dubitari ſolet, an tres perſonæ diuinæ dici poſſint *Vnitæ in Deitate, vel coniuñctæ*. Nam ita videtur loqui Dionyſius capit. ſecundo & tertio, de Diuinis nominib. dum nomina eſſentialia vocat coniuñctæ: Significat etiam Nazianzenus oration. 23. Bernardus autem libro quinto de conſideratione ad Eugenum *Vnus, inquit, non vnitus*: & idem habetur nomine Bedæ in dicto comment. Et ſumitur ex Cyrilli. cum Concil. Alexandr. Epiſtol. 10. Et ſine dubio hic poſterior loquendi modus eſt magis proprius: quia vnio indicat diſtinctionem vnitorum: & ideo cum perſonæ dicuntur vnite in Deitate, indicatur diſtinctio inter ipſas, & Deitatem. Et hoc maxime intendit Bernardus, nam hunc errorem impugnabat: propriſſime ergo dicuntur vnum in Deitate, non in Deitate, nec Deitati: vt non ſignificetur vnio inter perſonam & Deitatem, & conſequenter nec diſtinctio: ſed indicetur vnio inter ipſas perſonas, quæ vere ſunt diſtinctæ, & vinculum huius vnionis dicatur eſſe ſola Deitas, quod recte explicatum verum eſt: quia non per vnionem, ſed per identitatē cum perſonis, illas inter ſe vnit.

Non eſt Deus ſolitarus.

Deus vnus non vnitus.

Hęc vero ſententia ſuſtineri commode non poteſt: nam multæ ſunt locutiones veræ in Trinitate, ad quarum veritatem non ſufficit illa ſuppoſitio, vt patet de locutionibus ſequentibus: vna eſt, *Hic Deus eſt Trinitas*, quæ de nulla perſona verificari poteſt. Fortaſſe tamen diceret Henric. verificari de collectione trium perſonarum. Sed hoc non ſatisfacit. Nam hic Deus, qui eſt Trinitas, eſt etiam Pater, & Filius diuiſim, ſeu ſigillatim. Idem eſt de hac locutione, *Hic Deus realiter communis eſt Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, quod prædicatum neque alicui perſonæ, neque omnibus ſimul attribui poteſt. Deinde Henr. videtur ſupponere, nõ dari in Deo ſubſiſtentiã realem, & communem, ſingularem tribus perſonis: nam illa poſita, facile intelligitur, non eſſe neceſſarium, vt hic Deus immediate ſupponat pro ſuppoſito, ſed pro natura Deitatis ſubſiſtente eſſentialiter. Ac denique illa ſententia ſuppoſita, non recte inferit Henricus, illum eſſe vnicum & vniuerſalem ſupponendi modum, vt declarabitur ſtatim.

Eſt ergo ſecunda opinio, quæ licet neget ſubſiſtentiã abſolutam, nihilominus dicit *hunc Deum ex ſe non ſupponere immediate pro perſonis, ſed pro concreto, ſeu indiuiduo Deitatis*. Per concretum autem Deitatis intelligunt huius opinionis auctores hunc Deum, qui includit ſingularem, ſeu particularem naturam, non tamen particularem ſubſiſtentiã: ſed abſtractæ, & indiſſerentis, quidquid eſt ſubſiſtens in natura tali: Vnde licet ſuppoſitio illius termini ſit particularis ex parte Diuinitatis, tamen ex parte ſubſiſtentiæ eſt communis, & abſtrahens a tribus perſonis. Et hac ratione dicitur ille terminus non ſupponere immediate pro perſonis, ſed pro illo concreto: Cuius ſententiæ fundamentum eſt, quia non datur ſubſiſtentiã communis ſecundum rem, & aliunde ad rationem indiuidui concreti ſufficit vnitatis natura. Hęc ſententia videtur poſſe ſumi ex Capreolo in 1. diſtinct. 4. quaſtion. 1. & Torres quaſt. 39. art. 4. Et quidem ablata ſubſiſtentiã communi, hic dicendi modus eſt cæteris probabilior, & illo ego vſus ſum in 3. part. quæ. 24. ad explicandum quo modo Chriſtus in quantum hic homo, fuerit prædeſtinatus Filius Dei naturalis.

Tamen in præſenti materia, neque eſt neceſſarius, quia Diuinitas habet particularem ſubſiſtentiã realiter communem: neque etiam eſt ſufficiens ad omnes locutiones, & ſuppoſitiones verificandas, præſertim iuxta varias ſententiã Diui Thomæ, ille enim in 1. part. quaſt. 39. artic. 4. docet in hac propoſitione, *Deus creat, Deum non ſupponere immediate pro perſonis, ſed pro eſſentiã*: non poteſt autem ibi ſupponere immediate pro concreto Deitatis abſtrahente ex parte ſubſiſtentiæ a particularibus ſuppoſitis ſolum ſecundum rationem. Quod probatur ex alia doctrina euſdem D. Thom. 8. part. quaſt. 24. artic. 1. ad 3. vbi dicit, illum modum ſuppoſitionis habere locum in ordine ad actus mentis, non vero ad actiones reales. Vnde cum vera ſit illa locutio: *Chriſtus, vt hic homo eſt prædeſtinatus Filius Dei*. Hęc tamen eſt falſa: *Chriſtus, vt hic homo eſt factus Filius Dei*. Et ratio eſt, quia actus mentis terminatur ad rationes abſtracte conceptas, actiones vero reales exeunt immediate a rebus, prout a parte rei ſubſiſtunt. Cum ergo in hac propoſitione: *Deus creat, realis actio prædicetur, immediate dicitur de particulari re ſubſiſtente, & prout in re ipſa ſubſiſtens eſt.*

Eſt ergo tertia opinio, Deum ex ſe, ac ſine reſtriptione poſitum ſupponere immediate pro hoc Deo, præſcindendo ſecundum rationem a perſonis, non ſolum ſecundum rationem ſubſiſtentiæ communem per ſolam abſtractionem mentis, ſed etiam ſecundum ſubſiſtentiã realem communem. Hęc eſt ſententia Caietan. 1. parte, quaſtione 3. articulo 3. & 3. parte, quaſtione 3. ad 3. quam multi vehementer reprobant, quia videtur confundere tres perſonas in vnam

CAPVT XIV.

Pro quo ſupponat hic Deus, cum de tribus perſonis dicitur.

1. *Opinio.*

Hęc quaſtio ex parte videri poteſt dialeſtica, tractatur autē à Diuo Thoma quaſtione trigefima nona, & à cæteris Theologis, quia neceſſaria eſt ad recte loquendum in hoc myſterio: & ideo non debuit omnino prætermitti: breuiter autem expeditur. Prima ergo ſententia eſt Deum ſemper ſupponere immediate pro perſonis. Ita ſentit Henricus quodlibet. quinto, quaſtione octaua, & fundamentum eius eſt, quia nomina concreta ſemper ſupponunt immediate pro aliquo ſuppoſito: in Deo autem non datur aliquod ſuppoſitum præter tres diuinas perſonas, ergo, & cæc.